



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,  
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non  
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,  
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

**Gomez, Cristobal**

**Antverpiæ, 1681**

Camilus Caietanus Nuncius Apostol. in Hispania. n. 69

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38486**

Republica optime meritum, & vt bonæ famæ (quæ plurimum ad propagandum diuinæ maiestatis cultum vbique valet) status Ecclesiastici vniuersi prospiciamus, &c. Ita apud *Aules in Defensorio Soc. contra Spinum n. 288.*

*Iterum defensa contra maledicum.*

69. \* A CAMILO CAETANO Nuncio etiam Apostolico in Regnis Hispaniæ, qui Religiosum quemdam de Societate male loquentem perpetuæ reclusioni condemnauit, & inter alia sententiæ verba, hæc nimis honorifica protulit. Hoc (dicebat) non quia iudicemus illum malam doctrinam prædicasse, quia de hoc cognoscere ad hoc Tribunal non pertinet, sed quia sine ratione, nec causa aliqua de dictis Patribus Societatis tantum bonum Christianæ Reipublicæ inferentibus, ac de Religione adeo insigni & vtili diuino seruitio, & Ecclesiæ sanctæ, detraxit, bonamque opinionem, ac exultationem, quam populus iuste de illis habet, læsit, &c. Ita apud *citatur. Aules n. 413. ex Ribaden. in Hist. Prouin. Hispan. lib. 7. cap. 4.*

*Religio insignis & vtilis Ecclesiæ Sanctæ.*

*Ignatius Luthero oppositus.*

70. AB HIERON. BAPT. DE LA NVZA ex Sacro Prædicatorum Ordine, Episcopo Barbastrensi: Anno ipso (inquit) teste Genebrardo, quo Lutherus aduersus Ecclesiam Sacramentorum vsum & præcipue aduersus Sedem Apostolicam, & Romanum Pontificem suis hæresibus bellum indixit, prouidit Deus gloriosum Patrem Ignatium de Loyola, qui primo ab Apostolo Petro, deinde à cælorum Imperatrice visitatus, initium dedit foundationi instituti Sacri Societatis IESV, quæ vna est ex florentibus Religionibus, quas habet, & habuit Ecclesia, in speciali cura persuadendi Sacramentorum vsum, & in Sedis Apostolicæ, Romanique Pontificis auctoritate tuenda. Sic ille Tom. 3. *suarum Homil. super Euang. hom. 43. num. 13.*

*Societas vna ex florentibus, Religionibus, quas habet Ecclesia:*

*In Sacramentorum vsum suadendo, & Pontificis auctoritate tuenda.*

71. \* A LAVR. HVRTADO DE MENDOZA Episcopo Ianuariensi in Brasilia, in Approbat. *Theauri linguæ Paraquariæ Matrini typis editi, ann. 1639. per P. Antonium Ruiz, ubi ille Paraquariensis nostræ Societatis labores, feruorem, ac zelum erga Indorum conuersionem pulcherrimo penicillo depingit his verbis:*

Testor